1644.



DE S. IVONE PAVPERVM ADVOCATO ORATIO

Habita in eiusdē Templo
Ad S.R.E. Cardinales

À NICOLAO AEMILIO TONIO
SPOLETANO
Sem. Rom. Clerico.

VRBANO VIII. PONT. OPT. MAX.

NICOLAVS ÆMILIVS TONIVS
Seminarij Romani Clericus.

FELICITATEM.

QVAM de Beato Iuone pauperum Aduocato habui Orationem, Tuo tantum in nomine decet apparere B. P. qui Vicaria, quam sustines Numinis maiestate, sustentas Generis humani paupertatem. Cum enim omnes egeamus Gloria Dei, quæ vera opulentia est, non nisi, Te reserante, huius gloriæ ærarium patet, adeoq. per Te diuites, diuinæq. compotes liberalitatis sumus. Tuum videlicet ad Solem spectat mortalium, &

noctem pellere, & diem parere: quem dum imitatur, exprimitq. eximio in pauperes amore Eminentiſsimus Cardinalis Franciſcus Barberinus, re vera Sol iſte Tuus, aliuſq; & idem eſt. Reuerenter ergo Beatiſsimis aduoluor pedibus, laudesq; quas in Iuone ſuſpexi, in Te, Tuiſq. veneror. Deterruit me quidem ab hoc litterario grati animi monumento ſingularis ſapientia, qua reliquis emines, ſed animos dedere inſignia, & innumera beneficia, quibus hæc Tua penè diuina beneficentia, & incredibilis eiuſdem Eminentiſs: Cardinalis Franciſci beneuolentia, me, meoſq, omnes exornarunt: vt planè peccarem, niſi auderem ad Solem Barberinum accedere. Iure quippe ſuo accedit ad Solem quiſquis lucem accepit à Sole.

ORA-

ORATIO

PAupertàs vicaria diuinitatis est; & lusu quodam omnipotentiæ, Pauperes, loco Numinis habentur (Eminentiss. PP.) quod enim nec auderet purpura, nec solium sibi arrogaret; id liberaliter Paupertati attribuit Deus, vt quidquid illi beneficiorum quà auctoritate, quà patrocinio, quà liberalitate impenditur, Numini censeatur impensum. Quamobrem, nec ab huius

maiestate confessus alienum; nec ingratum erit pietati, si hodierna die virum sanctissimum Ivonem laudaturus, nominauero Pauperum Aduocatum, & tum allato exemplo Diuinitatis, tum indicatis rebus ab eodem mirabiliter gestis, breuiter ostendero, non posse hanc pulcherrimam lucem nobiliore radio mortalibus commendari.

Primaria creditur prouidentiæ consuetudo, summa imis æquare, & diuisa magnitudine nihil insolens pati, nihil tumidum, nihil superbum: vt mortales more syderum, quæ nunquam de dignitate contendunt, vnicum Diuinitatis Solem adorent. Sed hanc Prouidentiæ consuetudinem contemerauit Arrogantia, quæ architectante scelere, superbiæ molem excitauit, & cupida potentiæ cepit augere diuitias, quibus plerumq. potentia nititur, vt hoc veluti opum torrente obruta, reliquorum mortalium fortuna concideret, & supplex manus daret; eò magis ludibrijs obnoxia, quò magis diuitijs nudata: Hinc praua cogitatio in hominum, etiam sapientum mentibus grassata fuit, Paupertatem spectare ad infelicitatem: Pauperes naturæ vel læsæ, vel lædentis reos viuere irato Cœlo: & meritò

tò communis opulentiæ patrimonio mulctari, sola ærumnarum dote cumulatos;

Verum paupertati subsidium Deus tulit, nec modo testatus est diuinæ, aut gloriæ, aut ignominiæ adiungi, quidquid decoris, aut dedecoris in pauperes cadit; Sed etiam in terras demisit verbum, vt pauperis ore, habituq. consortio pauperum frueretur; Diuinumq. Spiritum Orbi affudit: vt esset, atque nuncuparetur Pauperum pater, & aduocatus. Adeo reuerenter prouidentia, vel infimos mortalium complectitur. Hinc intelligitis quam honestum sit IVONI cognomentum, quo gloriatur Deus.

Iam verò libet indicare admiranda opera; quibus defensæ ab IVONE Paupertatis studium diuinitus, & comprobatum, & nobilitatum est, atque hæc tot, ac tam præclara videntur, vt audeam affirmare, non minus prodigijs, quàm momentis IVONIS vitam constare: nec aliud esse Pauperum Aduocatum, quàm Thaumaturgum Generis Humani. Hunc ego appello Solem, qui non semel erubuit ab IVONE se vinci: quoniam IVO, nube modestiæ contectus longè illustrius, atque vtilius Orbi terrarum affulsit, quam Sol nitida luminis

nis pompa phaleratus; Neque mirari debetis; nam Sol tantummodo diei; hic etiam nocti præfuit, ac profuit: quid autem est paupertas, opinione hominum, quàm nox Terrarum? Appello elementa, quæ IVONIS imperio subiecta, latè didicere custodem paupertatis dexteram, esse arbitram naturæ; & dominam elementorum. Vos etiam interrogo, vos inquam, ò morborum infanda genera, furiarum horrenda monstra, Tartari agmina execranda, quis vestra debilitauit venena? quis compressit iras? quis fregit audaciam? quis fugauit? quis perdidit, nisi vindex IVO paupertatis? Audeo ne dicere? An genus omnipotentiæ est, pauperes ab iniurijs, & iniustitia vindicare? Dies me deficeret, si vellem omnia enumerare, illud vnum asserere, sine mendacio licet: omnium rerum, quas ab orbe condito admirata est natura, fuisse aliquod ab IVONE exhibitum specimen. Quid quæso mortalium animos, & naturæ aciem magis perstrinxit quàm antiquum illud fugientis Pharaonem Gentis Hebreæ, Duce Moyse, spectaculum, cum Aqua, diuiso amne, semitam fecit fugæ? At IVO cum enorme flumen indocili gurgite exundaret, viamque intercluderet, decedere,

dere, & iure, & loco iussit, semitamque eunti aperire, quasi nouus esset Moyses, qui diuitum licentiæ pauperes subtraheret. Quid magis commouit orbem terrarum, quàm ignis ille, quem de Cœlo accendit Elias? nescio quid IVO (si fas dicere) maius præstitit. Non accendit ignem, sed accensum iussit abire. Et ne longius excurrat Oratio. Idem IVONI attribuitur Elogium, quod Christo inditum fuit. IVONIS beneficio, audiendi, videndi, incedendi, aliarumque corporis actionum vires reparabantur. Tam gratiosa, est apud Deum paupertas, vt qui se illius patronum profiteatur, habeat quodammodo communem cum Deo potentiam. Vultis aliquid admirabilius? stetit IVONIS in conspectu opem rogaturus specie mendicus, re vera superum Princeps, informis vultu, habitu lacer, ærumnosus corpore, ac velut obsessus doloribus squalebat, pallebat, trepidabat. Commouetur, atque concutitur hoc tristi aspectu vir suapte sponte commiserationi obnoxius. Quid plura? ruit in amplexus, & quem hominem calamitosum arbitrabatur, iubet vnà mensæ accumbere. Fit commercium Epularum: Sed ecce mensa vertitur in stuporis Orche-

chestram. Squalor ille abit in venustatem: illa imago calamitatis migrat in iucunditatis exemplar: nox illa sordium parit pulcritudinis diem: frons pauida immortalitatis delicijs imbuitur: & corpus deleta morborum nube, radiorum turbine, ac fulgurantis tempestate splendoris iactatur ad voluptatem; Denique illa mendici species ingrata conformatur admirabili Metamorphosi in eam diuinæ lucis eximiam figuram quam olim Christus in Monte Thabor exhibuit; vt nullum diuinæ, siue potentiæ, siue felicitatis prodigium omitteretur in exornando Ivone, qui nullum opis humanæ præsidium omittebat in paupertate subleuanda. Et par erat eadem cum Moyse & Elia scena beatitatis saltem spectando eum condecorari, qui eundem cum Moyse & Elia potentiæ gestum fecerat. Meritò igitur defensæ paupertatis nomine glorietur Ivo; Cum enim tot documentis sese tuendum, ornandum, admirandumque in pauperibus Deus præbeat, nihil aliud est, Pauperum quam Dei Aduocatus.

LAVS DEO.